

Resp. Dist. mai. Esse animae est formaliter simplex et virtualiter multiplex et compositum, *Conc.* Est formaliter et virtualiter simplex, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.* Haec difficultas est similis illis quae fieri solent ex corporeitate, ex figura, et ex aliis proprietatibus, quae cum non sint formaliter in anima; nihilominus reperuntur in corpore informato per animam. De hac re uberius et dedita opera agemus paulo post, cum declarandum veniet, in homine non dari nisi unam formam substantialem.

Oppon. 14.º Forma et materia, quae sunt principia essentialia, ordinantur ad esse compositi. Atqui anima habet esse. Ergo non ordinatur ut forma ad esse compositi.

Resp. Dist. mai. Ordinatur ad esse compositi, quod sit completum in specie, *Conc.* Ad esse compositi simpliciter, *Neg. Contradist. min.* Anima habet esse completum in specie, *Neg.* Habet esse incompletum in specie, *Conc. et Neg. cons.* Solutio patet, nam licet anima possit per se esse simpliciter, non potest esse in completo speciei nisi unita corpori.

ARTICULUS IV.

DE UNITATE ANIMAE IN QUOLIBET HOMINE.

QUAESTIO DEFINITUR. Cum triplex sit in viventibus animatis vitae gradus, nimirum vegetativus, sensitivus, et rationalis, cumque principium tribuens vitam dicatur anima; merito inquirendum venit, num in homine, in quo hi tres vitae gradus una conspiciuntur, sint tres animae per essentiam diversae, vel unica dumtaxat admitenda sit substantia animae, quae ut forma nobilior corpori communit, quod formae inferiores tribuunt, et aliquid amplius, ita ut corpus hominis per eandem animam intellectivam sit vivum, sentiens, et humanum. Quaestioni sic determinatae respondemus, in homine praeter animam intellectivam non dari alias animas per essentiam diversas. Quod, quomodo sit intelligendum, sic paucis declaratur a S. Thoma: «Forma perfectior dat materiae quidquid dabat forma inferior et adhuc amplius. Unde anima rationalis dat corpori humano quidquid dat anima sensibilis brutis, vegetabilis plantis, et ulterius aliquid, et propter hoc ipsa est in homine et vegetabilis, et sensibilis, et rationalis» (1).

Et re quidem vera, si anima rationalis unitur corpori ut forma substantialis, corpus praesupponi non potest actuatum per aliam animam, quae ipsum faceret substantiam actu viventem, vel sentientem;

(1) *QQ. DD. De Anima*, a. 11.

tunc enim anima intellectiva afferret corpori esse quoddam secundum, quod proprium est formae accidentalis. Quare veritas haec intime connectitur cum alia veritate, quod nempe anima intellectiva sit in homine forma substantialis corporis. Sic paucis rem complexus est S. Thomas: «Si ponamus, animam corpori uniri sicut formam, omnino impossibile videtur, plures animas per essentiam differentes in uno corpore esse» (1). Antequam ad veritatem propugnandam accedamus, summatim recensendi sunt errores tum veterum tum recentiorum, qui unitatem principii vitalis negant in homine.

Philosophi veteres. Unitatem animae in hominibus, ut de Pythagora eiusque discipulis taceamus, inficiatur est Plato, qui triplicem in homine finxit animam, cuius principatum, idest rationem in capite collocavit, tamquam in arce, vim nutritivam posuit in hepate, concupiscibilem in corde (2). Manichaei duas admiserunt in homine animas, unam bonam et alteram malam. Apollinaristae docebant, hominem esse compositum ex corpore, anima, et ratione. Errorem Platonis refutavit Aristoteles, qui hominis animam definivit: *Id quo vivimus, sentimus, movemur, et intelligimus primo.* Error autem Manichaeorum et Apollinaristarum refutatus a SS. Patribus, damnatus fuit a Conciliis, praesertim a Constantinopolitano octavo. Quare doctrina de unitate principii vitalis a Patribus vindicata et a Conciliis definita ad Scholasticos manavit, inter quos princeps exstitit S. Thomas, qui docuit, in homine admitti non posse nisi unam animam, unicamque formam substantialem, et sic commentum Platonis paulo secus instauratum ab Avicibrone penitus explosit (3). Verum Guilielmus Lamenensis Professor Oxoniensis sententiam a S. Thoma traditam de unitate formae substantialis in homine acriter insectatus est, et in Opere quod inscripsit: *Correctorium Operum Fr. Thomae* et evulgavit (an. 1284), docuit, in homine praeter animam intellectivam dari animam sensitivam et animaleam, quas ab intellectiva distinctas effinxit. Neque hic silentio praetereundus est Guilielmus Ockam parens Nominalium, qui et ipse doctrinam peripatetico-scholasticam de unitate animae aggressus est, et duas in homine adesse animas affirmavit (4).

Philosophi recentes. Ut a parente novatae philosophiae incipiamus, Cartesius, repudiata scholastica doctrina de substantiali compositione corporum, consequenter labefactavit unionem substantialem animae cum corpore, denegans, animam communicare corpori aliquod esse substantiale. Idcirco licet solam animam intellectivam in homine admitat; ab ea tamen inficiatur, procedere ullam corporis operatio-

(1) I p. q. 76, a. 3.

(2) Cf. ARIST. *De Anima*, lib. I, text. 90.(3) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De spirit. creaturis*, a. 3.(4) *Quodlib.* 2, q. 10 et 11; in 4 *Sent.* q. 7.

nem, ideoque docet, animam non esse principium quo corpus vivit. Haec doctrina in omnes pene eius discipulos manavit, qui, uti vidimus, corporis vitam repetunt vel simpliciter a viribus mechanicis, chemicis, et physicis, vel ab huiusmodi viribus operantibus sub influxu determinati organismi; et sic dicti fuerunt *Organistae*, ut distinguerentur ab illis qui animam a viribus materiae distinctam posuerunt, et nominati sunt *Animistae*. Cartesius ergo et Cartesiani duplici via doctrinam peripatetico-scholasticam de unitate principii vitalis in homine adoriuntur; nam admittentes animam intellectivam, negant, ab ea procedere vitam corporis, quam repetendam putant vel ab ipsa materia, vel ab aliquo principio vitali penitus distincto ab anima rationali.

Günther et Baltzer. Demum inter recentes nominandi sunt Günther, eiusque discipulus Baltzer, quorum errores a Pio IX P. M. reprobati fuerunt. Primus namque renovans Apollinaris errorem, decernit, sensibilitatem in homine non dimanare ab anima, a qua intellectio procedit, sed esse materiae evolutionem quamdam; ideoque propugnat, hominem esse synthesis cuiusdam antithesis, nimirum compositum ex spiritu et physis; nomine physis seu naturae intelligit corpus organicum praeditum vita sensitiva independentem ab anima intellectiva. Alter vero, nempe Baltzer professus est, si non sensibilitatem, saltem vitam in homine non procedere ab anima intellectiva. Contra universos hos errores sequentem statuimus propositionem.

PROPOSITIO.

In homine unicum adstruendum est principium vitae intellectivae, sensitivae, et vegetativae; nimirum in eo anima intellectiva non differt quoad essentiam ab anima sensitiva, et vegetabili (1).

Antequam ad rationes afferendas accedamus quibus efficitur propositio, non erit supervacaneum recitare decretum octavi Concilii Generalis, et verba Summi Pontificis Pii IX. Octavum Conc. Constantinopolitanum in Canone decimo haec habet: « Cum vetus novaque lex testamenti doceat, unicam homini ratione intelligentiae pollentem esse animam, eandemque sententiam Patrum omnium, et Doctorum Sanctorum Ecclesiae doctrina firmet; sunt tamen qui dicunt, duas homini esse animas, et quibusdam vitiosis ratiocinantiunculis et epiche-rematis sectam stabiliunt. Sancta haec Oecumenica Synodus huius impietatis conditores cum tota secta sua anathemate damnat ». Pius vero IX P. M. postquam Güntheri errorem damnaverit, ipsius Baltzeri doctrinam his reprobavit verbis: « Hanc sententiam, quae unum

(1) De hac re cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 3; *Contra gent.* lib. II, cap. LVIII; *QQ. DD. De Anima*, a. 9 et 11; *De spirit. creaturis*, a. 3. Eandem quaestionem enucleate explicant CONTIMBRICENSIS, *De general. et corrupt.* lib. I, q. 21.

ponit in homine vitae principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque *et motum, et vitam omnem, et sensum* accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam atque Doctoribus plerisque, et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiae dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in Fide possit negari » (1).

Prob. prop. Arg. 1.^{um} Homo non est aggregatum triplicis substantiae vegetativae, sensitivae et intellectivae, sed est ens simpliciter unum, idest unica substantia composita, pollens triplici vitae gradu, et triplici operatione vitali. Atqui si in eo esset trinum vitae principium formale per essentiam diversum, homo esset aggregatum plurimum entium actu, ideoque esset unum per accidens. Ergo in homine admittendum est unicum formale principium, quo intelligit, sentit, et vegetat. Audi S. Thomam: « Ab eodem aliquid habet esse et unitatem: unum enim consequitur ad ens. Quum igitur a forma unaquaqueque res habeat esse, a forma etiam habebit unitatem. Si igitur in homine ponerentur plures animae, sicut diversae formae, homo non erit unum ens, sed plura » (2).

Arg. 2.^{um} eruitur a modo quo homini tribuitur praedicatum animalis et viventis. Homo dicitur per se et non per accidens animal et vivum, cum haec praedicata sint homini essentialia et non accidentalialia. Atqui, si esse animal et esse vivum procederet ab anima sensitiva et vegetativa essentialiter diversa ab anima intellectiva, haec praedicata non essent homini essentialia, sed de ipso dicerentur per accidens. Ergo in homine unica est anima, idest intellectiva.

Evol. arg. Si anima intellectiva uniretur corpori iam constituto in ratione viventis ab alio principio, ideoque corpus a principio intellectivo nihil haberet, quod spectaret ad vitam, praedicata essentialia quae ad vitam attinent, non possent tribui personae humanae; nam, uti argumentatur S. Thomas: « Si de aliquo subiecto praedicentur aliqua secundum diversas formas per se, unum illorum praedicatur de altero per accidens... Si igitur Socrates dicitur homo et animal secundum aliam et aliam formam, sequeretur quod haec praedicatio: *Homo est animal*, sit per accidens, et quod homo non sit vere id quod est animal. Contingit tamen secundum diversas formas fieri praedicationem per se, quando habent ordinem ad invicem, ut si dicatur, quod habens superficiem est coloratum. Nam color est in substantia mediante superficie. Sed hic modus praedicandi per se non est quia praedicatum ponitur in definitione subiecti, sed magis e converso » (3).

(1) Pius IX, *Epistola ad Episc. Wratislaviensium*.

(2) *Contra gent.* lib. II, cap. LVIII; cf. 1 p. q. 76, a. 3.

(3) *QQ. DD. De Anima*, a. 11; cf. 1 p. q. 76, a. 3.

Arg. 3.^{um} In operationibus triplicis vite tanta est ad invicem dependentia, ut intensitas unius actionis minuat, et quandoque penitus impediatur operationem alterius vite. Atqui hoc inexplicabile foret, si principium actionum non esset per essentiam unum. Ergo unitas principii vitalis in homine est admittenda: « Cum operatio unius potentie, inquit Aquinas, fuerit intensa, impeditur alterius operatio, et e contra fit redundantia ab una potentia in aliam, quod non esset, nisi omnes potentie in una essentia animae radicarentur » (1).

Arg. 4.^{um} Sic proponitur a S. Thoma: « Omne quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter, cum sit extra essentiam eius. Quaelibet autem forma substantialis facit ens completum in genere substantie; facit enim ens actu et hoc aliquid. Quidquid igitur post primam formam substantialem advenit rei, accidentaliter advenit. Cum igitur anima nutritiva est forma substantialis (vivum enim substantialiter dicitur de homine et de animali), sequitur quod anima sensitiva advenit accidentaliter, et similiter intellectiva; et sic neque animal, neque homo significant unum simpliciter, neque aliquod genus neque species in prædicamento substantie » (2). Hoc argumentum sic paucis concludi potest. Anima nutritiva est forma substantialis, ideoque unita subiecto facit ens actu simpliciter, et substantiam completam. Atqui quidquid alicui supervenit post esse completum, accidentaliter supervenit. Ergo si anima sensitiva et intellectiva est distincta ab anima nutritiva, accidentaliter superveniunt viventi, et tum animal, tum homo erunt unum per accidens. Ex dictis rite inferitur, animam vegetativam et sensitivam in homine esse nobiliorem, quam in plantis et in brutis; siquidem in homine est rationalis, ac proinde spiritualis et immortalis (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.^o Idem non potest esse ab intrinseco et ab extrinseco. Atqui anima rationalis est ab extrinseco, nempe per creationem, anima sensibilis et vegetabilis est ab intrinseco, idest per virtutem, quae est in semine. Ergo substantia animae intellectivæ differt ab anima sensitiva et vegetabili.

Resp. *Conc. mai.* et *Dist. min.* Anima sensitiva et vegetabilis sunt ab intrinseco in brutis vel in plantis, *Conc.* In homine, *Neg.* Solutio patet, nam licet anima sensibilis in brutis sit ab intrinseco, tamen in homine substantia animae, quae est simul vegetabilis, sensibilis et rationalis, est ab extrinseco.

(1) *De Anima*, loc. cit. fine.

(2) *Contra gent.* lib. II, cap. LVIII; cf. *Silv. Maurum*, lib. IV, q. 25.

(3) Cf. S. Thom. *QQ. DD. De Anima*, a. 11 ad 12.

Oppon. 2.^o Homo et equus conveniunt in animali, quod dicitur ab anima sensibili. Atqui anima sensibilis in equo non est rationalis. Ergo neque in homine.

Resp. *Dist. mai.* Homo et equus conveniunt in animali secundum intentionem, *Conc.* Secundum esse illius intentionis, *Neg. Conc. min.* et *Neg. cons.* Siquidem anima sensibilis in homine est nobilior, quam in aliis animalibus, quia in homine est sensibilis simul et rationalis. Unde S. Thomas sic occurrit difficultati: « Sicut animal, in quantum animal, neque est rationale neque irrationale, sed ipsum animal rationale est homo, animal vero irrationale est brutum: ita anima sensibilis in quantum huiusmodi neque rationalis est neque irrationalis, sed ipsa anima sensibilis in homine est rationalis, in brutis vero irrationalis » (1).

Oppon. 3.^o Si eadem substantia animae est rationalis, sensibilis, et vegetabilis, anima separata a corpore retinebit vires sensitivas et vegetativas. Atqui anima separata has vires minime conservat. Ergo anima rationalis diversa est ab anima sensitiva et vegetabili.

Resp. *Dist. mai.* Anima separata retinebit vires sensitivas et vegetativas in radice, *Conc.* Retinebit eas in actu, *Neg. Contradist. min.* et *Neg. cons.*

Explicio. Ratio distinctionis mox datae sic dilucide assignatur a S. Thoma: « Quaedam potentie animae comparantur ad animam solam sicut ad subiectum, ut intellectus; et huiusmodi potentie necesse est quod maneant in anima, corpore destructo. Quaedam vero potentie sunt in coniuncto sicut in subiecto, sicut omnes potentie sensitivæ partis et nutritivæ. Destructo autem subiecto, non potest accidens remanere. Unde, corrupto coniuncto, non manent huiusmodi potentie actu, sed virtute tantum in anima, sicut in principio vel radice » (2).

Oppon. 4.^o In constituenda specie genus sumitur a materia, et differentia sumitur a forma. Atqui in homine differentia rationalis sumitur ab anima intellectiva, et genus animalis ab anima sensitiva. Ergo anima sensitiva in homine differt ab anima intellectiva.

Resp. *Dist. mai.* Genus sumitur a mera materia et differentia sumitur a mera forma, *Neg.* Genus sumitur a materia prout recipit a forma inferiorem et communiorem gradum perfectionis, et differentia sumitur ab eadem forma prout tribuit subiecto excellentiorem gradum perfectionis, *Conc. Contradist. min.* Differentia in homine sumitur ab anima intellectiva prout tribuit composito excellentiorem gradum perfectionis, et genus ab anima sensitiva, nempe a materia prout consideratur actua per eamdem animam sensitivo gradu perfectionis,

(1) *QQ. DD. De Anima*, a. 11 ad 19.

(2) I p. q. 77, a. 8 ad 1.

Conc. Differentia sumitur ab anima intellectiva et genus ab anima sensitiva, quae sint diversae secundum rem, *Neg.* et *Neg. cons.*

Explico. Difficultas haec quae confundit ordinem realem cum ordine intentionali et logico in causa fuit, quamobrem Avicbron docuerit, diversas formas multiplicari in subiecto secundum ordinem generum et specierum. Sic eam dissolvit S. Thomas: « Non oportet secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere; quia ratio unum et idem secundum diversos modos potest apprehendere. Quia igitur anima intellectiva virtute continet id quod sensitiva habet, potest eorum ratio considerare quod pertinet ad virtutem sensitivae, quasi quoddam imperfectum et materiale; et quia hoc invenit commune homini, et aliis animalibus, ex hoc rationem generis format; id vero in quo anima intellectiva sensitivam excedit, accipit quasi formale et completivum, et ex hoc format differentiam hominis » (1). Ad meliorem huius abstrusae quaestionis intelligentiam praestat subiicere alium locum in quo idem Aquinas sic nodum dissolvit: « Cum animal sit id quod vere est homo; distinctio naturae animalis ab homine non est secundum diversitatem realem formarum, quasi alia forma sit per quam sit animal, et superaddatur altera per quam sit homo; sed secundum rationes intelligibiles. Secundum enim, quod intelligitur corpus perfectum in esse sensibilis ab anima, sic comparatur ad perfectionem ultimam, quae est ab anima rationali, in quantum huiusmodi, ut materiale ad formale. Cum enim genus et species significant quasdam intentiones intelligibiles, non requiritur ad distinctionem speciei et generis distinctio realis formarum, sed intelligibilis tantum » (2).

Oppon. 5.^o Si tres animae essent secundum essentiam in homine, in quacumque parte esset una, esse deberet et altera. Atqui hoc est falsum, cum in ossibus sit anima vegetabilis, quia nutriuntur, non autem sensibilis, quia sine sensu sunt. Ergo tres animae non sunt idem secundum substantiam.

Resp. Dist. mai. In quacumque parte est una, esset alia secundum essentiam, *Conc.* Secundum operationem, *Neg. Contradist. min.*

Explico. Cum anima per essentiam sit actus corporis organici, oportet, ut in toto corpore quod informat, praesens sit. Verum cum diversa virtus operandi egeat diversis organis, exerceri non potest, nisi in organo proportionato. Hoc autem non solum verum est de variis potentiis vegetativis et sensitivis, sed in ipsa diversitate virium sensitivarum requiritur multitudo organorum, et sic homo videt per oculos, audit per aures (3).

(1) I p. q. 76, a. 3 ad 4.

(2) QQ. DD. De spir. creaturis, a. 5 ad 3.

(3) Cf. S. Thom. QQ. DD. De Anima, a. 11 ad 20.

Oppon. 6.^o Duo actus inter se pugnantes nequeunt eidem animae simul inesse. Atqui actus appetitus sensitivi saepe pugnat cum actu appetitus rationalis; nam, magistra experientia, et ut docet Aristoteles (*De Anima*, lib. III, text. 53), idem homo, eodemque tempore appetitu sensitivo amplectitur voluptatem, et rationali eandem repellit. Ergo anima sensitiva differt ab anima rationali in homine.

Resp. Dist. mai. Non possunt duo actus pugnantes eidem animae simul inesse *immediate, Conc.* Mediantibus diversis potentiis, *Subdist.* Si contrarietas habetur ratione obiecti vel termini, *Neg.* Si habetur ratione principii effectivi, *Conc.*

Explico. Uti scite animadvertunt Conimbricenses, hac difficultate illud unice concluditur, nimirum esse in homine duplicem appetendi facultatem, alteram sensitivam, alteram rationalem, primam residentem in composito, secundam in anima, quarum una interdum prosequitur, quod altera repellit. Ex quo ulterius manifestum fit, eos actus non posse dici vere contrarios, cum non recipiantur in eadem potentia; licet pugnantes quodammodo dici queant, quatenus in idem obiectum opposito modo feruntur.

Oppon. 7.^o Si in homine esset solum anima intellectiva, homo non generaret hominem, quod sic patet. Generatio hominis est generatio viventis, et per generationem acquiritur esse. Sed esse viventis consequens animam intellectivam non procedit a parentibus. Ergo si in homine unicum est vitae principium, idest anima intellectiva, homo non generat hominem.

Resp. Neg. assumptum, ad probationem, *Conc. mai. et Dist. min.* Esse viventis procedens ab anima intellectiva non attingit a generante, prout actuat animam et absolute in ea consideratur, *Conc.* Prout actuat compositum seu hominem, *Neg. et Neg. cons.*

Explico. Id quod generatur, proprie non est neque materia, neque forma, sed compositum; insuper, ut ait Angelicus: « Generans generat sibi simile in specie, in quantum generatum producitur ad participandam speciem eius; quod quidem fit per hoc quod generatum consequitur formam similem generanti. Si ergo forma illa non sit subsistens, sed esse suum sit solum in hoc quod uniatur ei cuius est forma, oportebit quod generans sit causa ipsius formae, sicut accidit in omnibus formis materialibus. Si autem sit talis forma, quae subsistentiam habeat, et non dependeat esse suum totaliter ex unione ad materiam, sicut est in anima rationali, tunc sufficit quod generans sit causa unionis talis formae ad materiam per hoc quod disponit materiam ad formam; nec oportet, quod sit causa ipsius formae » (1).

Haec doctrina perbelle evolvitur a Caietano, qui prius notat, non esse necessarium ad compositum faciendum, ut eius partes fiant, sed

(1) QQ. DD. De pot. q. 3, a. 9 ad 6.

sufficit, ut coniungantur; deinde animadvertit, in generatione hominis esse duas actiones et duos terminos intrinsecos earumdem. Prima est actio Dei gloriosi creatis animam intellectivam; secunda est actio hominis generantis hominem. Terminorum distinctio exinde manifestatur, quod anima intellectiva in instanti quo fit, duo sortitur; nimirum esse, et modum essendi; quippe quae et est, et corpori inest, ut actus eius substantialis. Illud autem *inesse* sumi potest vel ex parte animae, quae materiam actuat, vel ex parte materiae, quae fit actu per animam. Porro anima rationalis est terminus intrinsecus creationis ratione sui *esse*, et concomitanter terminat ipsam creationem ratione sui *inesse*, quod se tenet ex parte animae. At ratione sui *inesse*, quod se tenet ex parte materiae, seu quoad unionem, est proprius terminus generationis; nam propria actio generantis terminatur ad hoc quod materia subsit animae intellectivae forinsecus adveniendi. Unde, si proprie loqui velimus, anima est terminus creationis; unio vero animae et corporis est terminus generationis, in quantum nempe generans, materiam ad illam ultimam dispositionem adducit, per quam possit ab anima intellectiva actuari et compleri. Ergo homo generans non attingit animam quoad esse, sed tantum quoad *inesse*, seu quoad sui unionem cum materia, ideoque terminus generationis est vel anima unita, vel eius unio ad corpus per quam eius esse corpori communicatur (1).

Licet enim anima rationalis non sit a generante, unio tamen corporis ad eam est quodammodo a generante; et ideo homo dicitur generari. Neque per hoc datur in homine duplex esse, unum quod sit a generante, et aliud a create; uti enim subtiliter animadvertit Angelicus: « In homine non est duplex esse, quia non est sic intelligendum, corpus esse a generante, et animam a create, quasi corpori acquiratur esse separatim a generante, et separatim animae a create; sed quia *creans dat esse animae in corpore, et generans disponit corpus ad hoc, quod huius esse sit particeps per animam sibi unitam* » (2).

ARTICULUS V.

DE UNITATE FORMAE SUBSTANTIALIS IN HOMINE.

STATUS QAESTIONIS DEFINITUR. Quaesitum a nobis est in superiori articulo, num anima rationalis, quae corpori iungitur ut forma substantialis ad hominem conflandum, excludat quodlibet aliud vitale principium, et pluribus argumentis demonstravimus, in

(1) Cf. CAJET. in 1 p. q. 118, a. 2 ad 4.
(2) QQ. DD. De pot. q. 3, a. 9 ad 20.

homine unicum adstruendum esse vitae principium, quod est anima intellectiva, quae virtute continens perfectiones animae sensitivae et vegetalis, composito tribuit gradum vitae vegetalis, sensitivae et aliquid amplius. Nunc autem remanet inquirendum, num eadem anima intellectiva corpori substantialiter unita, excludat ab homine non solum quamlibet aliam animam; verum etiam quamlibet aliam formam substantialem, ita ut ipsa composito tribuat, tum quod reliquae animae, tum quod reliquae formae inferiores seu inanimatorum largiuntur materiae. Haec quaestio eodem recidit ac si inquiretur, an anima rationalis, in generatione hominis, uniat purae materiae primae, vel corpori iam constituto in esse substantiae corporeae per aliam formam substantialem, quae una cum anima remaneat in homine; vel aliis verbis, num in generatione hominis resolutio fiat usque ad materiam primam.

Sententia S. Thomae. S. Thomas post Aristotelem et B. Albertum Magnum passim ac diserte docet, generatim in quolibet composito substantiali unicum reperiri formam substantialem, quae per se et immediate coniungitur materiae primae, quae est mera realis potentia in genere entis, ideoque generationem fieri ex ente et ex non ente, nimirum ex ente in potentia, et ex non ente actu. Hinc, cum generatio unius sit corruptio alterius, tradit, in qualibet generatione fieri resolutionem usque ad materiam primam, quae formae substantiali coniungitur, ab eaque acquirit esse actu *simpliciter*. Sic ex materia tamquam ex subiecto mere potentiali et ex forma substantiali, quae ipsi dat esse simpliciter, efflorescit ens et unum simpliciter (1). Haec elegans doctrina Philosophi et Aquinatis, quae late patet, et in qua Angelicus, uti testis est Silvester Maurus, fundat totam suam Metaphysicam (2), transfertur a S. Doctore ad explicandam unionem substantialem animae et corporis, et unitatem entis in homine. Congruenter huic doctrinae S. Thomas decernit, in quolibet individuo humano non esse aliam formam substantialem praeter animam intellectivam, quippe quod « per eam homo non solum est homo, sed et animal et vivum et corpus et substantia et ens » (3).

Quamobrem iuxta Doctorem Angelicum tria potissimum in exploratis habenda sunt, nimirum: 1) Anima rationalis est forma substantialis corporis, quae immediate informat non corpus ab alia forma constitutum in genere substantiae, sed materiam primam, quae in genere entis est mera potentia realis. 2) Corpus non solum accipit ab anima intellectiva esse corporis humani et viventis, sed simpliciter ipsum esse *corporis* seu substantiae corporeae. 3) Demum anima

(1) Cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 4.
(2) Cf. SILV. MAURUM, *Quaest. phil.* vol. 2, q. 7.
(3) QQ. DD. De spiritali creaturis, a. 3.

non advenit corpori tanquam substantiae completae et actuae primo esse; verum illud actuat ac complet quoad ipsum esse primum. In finitum esset omnia eius loca transferre, quae innumera sunt (1); sufficit haec pauca verba recitare quibus rem mirifice explicat: « Forma perfectior continet quiddam est inferiorum formarum; et ideo una et eadem existens perficit materiam secundum diversos perfectionis gradus. Una enim et eadem forma est per essentiam, per quam homo est ens actu, et per quam est corpus, et per quam est vivum, et per quam est animal, et per quam est homo » (2).

Auctores oppositae sententiae. Praestans haec S. Thomae doctrina, quae unitati entis in quolibet composito substantiali maxime consulebat, quaeque post Concilium Viennense ex ea parte, qua pluralitatem substantialium formarum in eodem individuo excludit, communissima fuit in Scholis catholicis, et a summis theologis ac philosophis vindicata, impugnatores nacta est nonnullos veteres, et omnes recentes, qui in philosophando cartesiana placita consecrati sunt.

Stoici, Avicenna, Henricus Gandavensis. Ut a veteribus ordiamur, antiqua fuit Stoicorum sententia, uti testatur Simplicius, dari in qualibet re naturali formam quandam, quam vocant corporitatis, materiae coeavam, ab eaque inseparabilem, ortus et interitus expertem, quae sit praevia dispositio ad propriam et specificam formam rei (3). Hanc sententiam amplexatus est et latius explicavit Avicenna. Verum Henricus Gandavensis licet in corporibus inanimis videatur admittere unam formam; censet tamen, in viventibus praeter formam qua corpus animatur et vivit, simul admittendam esse aliam formam, qua corpus constituitur in esse corporis; et consequenter in homine praeter animam intellectivam dari aliam formam, qua corpus constituitur in esse corporis independentem ab anima (4).

Scotus. Huius doctrinae adstipulatus est Scotus, qui admisit in corporibus viventibus formam *corporeitatis* vel *misionis*, vel *organicam* a principio vitali distinctam (5), ideoque haec sententia sub nomine Scoti circumfertur. Vocatur autem *forma misti* seu *misionis*; quia ex misione elementorum consurgit. Dicitur *forma corporeitatis*, quia constituit corpus vivens in esse corporis, antequam constituatur per animam in esse viventis. Demum appellatur *forma organica*, quia materiam disponit et ordinat ad animam excipiendam, format organa, et instru-

(1) De hac re cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 4; QQ. DD. De spirit. creaturis, a. 3; De Anima, a. 9; in 2 De Anima, lect. 1; Contra gent. lib. II, cap. LVIII; Quodlib. 1, a. 6, et Quodlib. 2 a. 7.

(2) 1 p. q. 76, a. 6 ad 1.

(3) Cf. SIMPLIC. Physic. lib. I, in digressione de corporeitate materiae primae.

(4) Cf. HENRIC. GAND. Quodlib. 1, q. 2.

(5) Cf. SCOT. 4 Sent. Dist. 11, q. 3, a. 2.

menta animae parat. Quare, iuxta S. Thomam et communem Scholasticorum sententiam, subiectum ab anima informatum, est *materia prima*, quae accipit ab ea primum esse corporis; e contrario iuxta Scotum est corpus organicum, quod ab anima recipit esse viventis (1).

Cartesiani. Philosophi qui substantialem compositionem materiae et formae in corporibus inficiantur, et inter materiam ac corpus nihil differre censent, omnes agminatim adstipulantur Scoto in eo quod decernant, animam intellectivam non uniri materiae primae, sed corpori organico. Verum quoniam profitentur, corpus humanum esse substantiam completam, immo aggregatum substantiarum, quae copulantur non per aliquam formam et esse, sed vi cohaesionis qua constringuntur atomi, nullatenus explicant unionem animae cum corpore per communicationem alicuius esse substantialis, sed ad nonnullas dicendi formulas se conferunt, quae unitatem entis in homine potius evertunt, quam explicant. Alii quippe contendunt, corpus informati ab anima nihil aliud significare, nisi quod anima corpus pervadat suasque vires viribus corporis consociet; licet tum anima tum corpus proprium et distinctum esse sibi vindicent. Alii decernunt, animam et corpus esse *substantias* completas, licet sint *naturae* incomplete: idcirco tuentur, ex unione animae et corporis non resultare unam substantiam, sed unam dumtaxat naturam, quia unicum resultat operationis principium; quod contingere affirmant, quia anima corpori, cui unitur, tribuit vitam, non ipsum formaliter vivificando, sed producendo in corpore *modum* quandam ab ipso corpore realiter indistinctum, et quo corpus formaliter vivit.

Antequam ergo accedamus ad doctrinam S. Thomae de unitate formae substantialis in homine demonstrandam, non erit inopportuna quaedam praemonere, quae et aequivocationes praepedit, et faciliorem reddent intellectum huius perbasconditae quaestionis.

Notandum 1.^o Sicut docet Aristoteles (8 *Metaph.* text. 10), formae substantiales se habent ad invicem sicut numeri, quorum maior continet minorem; sicut enim in ternario contentum videt binarium, ita forma perfectior imperfectiorem in se continet. Vel iuxta eundem Philosophum (2 *De Anima*, text. 31) formae se habent ut figurae; sicut enim in quadrato continetur triangulus, ita in forma nobiliori continetur virtualiter forma inferior. Nimirum forma perfectior virtute in se continet formam imperfectiorem, non quatenus una habeat virtute efficiendi aliam; sed quatenus perfectior forma tum in genere causae effectricis, tum in genere causae formalis praestare possit, quod potest forma deterior et aliquid amplius. Quare anima intellectiva, quae nobilissima est formarum naturalium, in sua simplici substantia

(1) Scoti hac super re doctrinam expositam et refutatam invenies apud CONIMBRICENSES, *De generat.* lib. I, q. 20.

complectitur nobilitates animae sensitivae, vegetativae, et reliquarum inferiorum formarum, atque ita cum ipsa sit formaliter incorporea, inextensa, indivisibilis; est nihilominus virtualiter corporea, extensa, divisibilis; propterea communicando materiae *esse* suum, efficit suppositum corporeum, extensum, divisibile formaliter. Propter hanc formalem rationem, et virtutalem continentiam distinguitur quodammodo a seipsa, prout corporis capacitatem excedit, et prout est actus corporis tribuens subiecto varios perfectionis gradus, qui licet re non differant substantialiter inter se, cum ab unica forma substantiali procedant; ab ipsis tamen resultant distincta realiter accidentia, distinctaeque agendi potentiae seu vires, iuxta organorum diversitatem. Et hoc in causa est, quod in homine tot sint actionum genera inter se maxime discrepantia, quae omnia promanant ex unico remoto principio activitatis, nempe ab anima intellectiva, quae virtualiter est multiplex et multiplices habet agendi virtutes, quae sunt principia proxima operationum radicem habentia in unico esse animae; operatio quippe consequitur esse.

Notandum 2.^o Quando nos iuxta peripateticam et veram doctrinam tuemur, in generatione hominis animam intellectivam uniri purae materiae, fierique resolutionem usque ad nudam materiam primam, non propterea docemus, ut adversarii criminantur, quamlibet formam uniri posse cuilibet materiae; quin immo diserte profitemur, formam perfectiorem requirere materiam melius perfectiusque dispositam, cum quilibet actus suam propriam et proportionatam sibi vindicet potentiam. Quod adeo verum est, ut S. Thomas passim doceat (1), in generatione hominis animam intellectivam non creari in corpore, nisi postquam elaboratum dispositumque fuerit per plures generationes praevias sibi mutuo succedentes, donec corpus ad illum perfectissimum organismum et aequabile temperamentum perveniat necessarium ut sit congruens susceptivum illius formae nobilissimae, quae est anima rationalis. Quin immo in nostra sententia tanta requiritur proportio et commensuratio intellectivi principii ad corpus multiplici organismo praeditum, ut *haec anima* individua et singularis non dicat ordinem ad quodlibet corpus humanum, sed ad *hoc corpus*, et non ad aliud.

Quare frustra sunt adversarii contra nos argumentum illud repentes, nimirum quod nobiliores formae uniri debeant materiae perfectiori, et non materiae nude, uti formae elementares. Siquidem argumentum illud utpote captiosum et fallax praecooccupatum et explosum fuit a S. Thoma (2); peccat enim, uti notat Caietanus, secundum *non causam*, cum immediate uniri materiae primae non inferat imper-

(1) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De pot.* q. 3, a. 9 ad 9, et 1 p. q. 118, a. 2 ad 2, et q. 76, a. 3 ad 3.

(2) Cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 4 ad 3.

fectionem formae, sed solum quod det materiae primum perfectionis gradum. Peccat quoque argumentum illud per fallaciam *consequentis*, cum argumentatio fiat a superiori ad inferius affirmative. Nam cum uniri materiae dispositae duo significare possit; vel quod dispositiones illae permaneat in materia; vel quod illae dispositiones proprio munere perfunctae intereat postquam disposerint; nefas est sic arguere. Forma unitur materiae dispositae. Ergo materiae existenti et remanenti sub aliqua forma. Nam formae disponentes, accedente nobiliori forma, corrumpuntur; quod nobilitatem supervenientis formae patefacit, quae cum in se praehabeat et efficiat, quod inferiores formae praestare poterant, ipsa veniente, ceterae supervacaneae evadunt.

Ceterum, si argumentum valeret, anima vegetalis, quae disponit ad sensitivam, et sensitiva, quae disponit ad intellectivam, remanere deberent in homine. Paucis: materia disponit ad formam excellentiorem per formam inferioriorem, quae ipsi communicat quemdam essendi gradum; sed quoniam materia perfectior per suum accessum impertit materiae illum eundem essendi gradum, et aliquid amplius, sic, accedente forma excellentiori, naturaliter cessat forma deterior. Hinc duo rite consequuntur: 1) quod forma perfectior unitur materiae dispositae; 2) quod immediate unitur materiae primae (1). Si quis subtiliter cogitateque rem consideret, videbit profecto, difficultatem hoc intelligendi ex eo derivari, quod generatio seu mutatio substantialis sit instantanea; et tamen consideratur perinde ac fieret cum temporis successione, qua in successione cogitatur prius materia nuda, et subinde actuata forma nobiliori (2).

Notandum 3.^o Quandoquidem anima rationalis formarum perfectissima per simplicem suam essentiam corpori tribuit multiplices essendi gradus, qui ab una et simplici essentia procedentes, realiter unum idemque sunt, ratione vero distincti cum fundamento in re; haec rationis distinctio in causa est, quamobrem intellectus noster comparet animam sub ratione *esse* imperfectioris ad seipsam sub ratione *esse* perfectioris, tamquam aliquid materiale et potentiale ad aliquid formale et actuale; et sic ab eadem sumitur ratio generis et ratio differentiae, quatenus sub una ratione perfectiori intelligitur actuare seipsam sub ratione imperfectiori. Hinc anima tribuens *esse* animatum intelligitur actus suis tribuens *esse* corporeum, et licet videatur advenire enti in actu, nihilominus non est accidens, quia non constituitur in actu per aliam formam ab ipsa diversam, sed ab eadem sub diversa consideratione. Quocirca de anima possumus dupliciter loqui, nimirum quatenus *est forma*, et quatenus *est talis forma*, idest anima; aliis verbis, ut cum Caietano loquamur, vel *identice et materialiter*, vel

(1) Cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 6 ad 1.

(2) De mutatione instantanea cf. S. THOM. *Quodlib.* 7, a. 9, et *Quodlib.* 11, a. 4.

formaliter. In primo sensu proprium susceptivum illius rei, quae est anima, dicitur esse materia prima; in secundo sensu proprium susceptivum animae, prout anima est, dicitur esse corpus physicum organicum; at non quatenus est corpus physicum per aliam formam, sed per ipsam animam. Aliud enim est loqui de rebus prout res sunt, et aliud prout sub hac vel illa ratione formali considerantur.

Sic S. Thomas saepe monet, animam dici actum corporis physici eodem modo ac lumen dicitur actus lucidi, vel calor dicitur actus calidi (1); lucidum enim non dicitur lucidum independentem a lumine, sed per ipsum lumen; ita et corpus organicum non dicitur corpus independentem ab anima, sed per ipsam animam, licet non prout formaliter est anima, sed prout est forma substantialis; nam in anima clauditur forma substantialis inadaequate et partialiter, quia anima dat esse corpus, et vivens, et sentiens, et humanum. Ex diversis his formalibus rationibus cum identitate rei oriuntur diversa praedicata essentialia, quae non desumuntur a diversis formis, sed ab una *virtualiter* multiplici et multifariam spectata, ideoque non res diversas significant, sed diversas rationes intelligibiles. His pro rei, quam explicare aggressi sumus, intelligentia notatis, ad propositum problema solvendum accedamus.

PROPOSITIO.

In homine praeter animam intellectivam nulla alia forma substantialis adstruenda est, cum in ipso corpus non constituatur in esse corporis physici per formam ab anima intellectiva distinctam. Haec doctrina scite admodum explicatur a S. Thoma, qui ait: « In hoc homine non est alia forma substantialis, quam anima intellectiva, et per eam homo non solum est homo, sed et animal et vivum et corpus et substantia et ens » (2).

Prob. prop. Arg. 1.^{um} ducitur ex unitate entis in homine, et sic concluditur. Homo est ens per se et simpliciter unum. Atqui si in homine praeter animam intellectivam daretur alia forma substantialis, homo non esset ens per se et simpliciter unum, sed ad summum unum per accidens, seu aggregatum plurimum entium. Ergo in homine non est nisi unica forma substantialis, quae est anima intellectiva. Ad propositionem minorem quod attinet, quae sola posset ab adversariis in dubium vocari, notandum est, formam substantialem

(1) Cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 4 ad 1.

(2) QQ. DD. De spiritali creaturis, a. 3. Veritas in propositione enuntiata, uti scite monet RAPHAEL RIPA (in Opusc. De ente et essentia, cap. VII, q. 2, a. 4.), « non alii rationibus est probanda, quam quibusdam ex iis, quas adduxit S. THOMAS, Opusculo De pluralitate formarum; sunt enim energiae maximae ».

hoc proprium sibi vindicare, quod faciat simpliciter esse actu, et non esse actu tale vel quantum, quod est proprium formae accidentalis. Si ergo plures adstruuntur formae substantiales, resultabunt plura entia actu simpliciter, ex quibus componi poterit unum per accidens, non unum per se. Cum enim res a forma habeat esse et unitatem, si in homine erunt plures formae, homo non erit ens unum, sed plura. Nec ad unitatem hominis ordo formarum quidpiam conferet; nam esse unum secundum ordinem, uti recte monet S. Thomas, non est esse unum simpliciter, cum unitas ordinis sit minima unitatum (1).

Arg. 2.^{um} ducitur ex ipsa ratione formae substantialis et accidentalis. Forma accidentalis hoc potissimum a substantiali differt, quod accidentalis advenit subiecto iam actu existenti, ideoque non facit esse actu simpliciter, cum hoc ab ipsa praesupponatur; ex adverso forma substantialis afferens subiecto esse primum, quod est esse substantiale, facit esse actu simpliciter, ideoque praesupponit subiectum in potentia tantum; unde forma substantialis magis proprie dicitur esse in potentia, quam in subiecto. Atqui si proprium est formae substantialis afferre subiecto esse primum, ac proinde non posse coniungi subiecto iam existenti in actu, in homine praeter animam intellectivam non potest admitti alia forma substantialis ipsi praevia; in ea quippe hypothese anima adveniret subiecto iam existenti in actu per aliam formam, quod est proprium formae accidentalis. Ergo in homine nulla alia forma substantialis fingi potest praeter animam intellectivam.

Argumentum sic proponitur a S. Thoma: « Haec est differentia formae substantialis ad formam accidentalem, quod forma accidentalis non facit ens actu simpliciter, sed ens actu tale vel tantum. Forma autem substantialis facit esse actu simpliciter. Unde forma accidentalis advenit subiecto iam praesistenti in actu, sed existenti in potentia tantum, scilicet materiae primae. Ex quo patet, quod impossibile est, esse unius rei plures formas substantiales, quia prima faceret ens actu simpliciter, et omnes aliae advenirent subiecto iam existenti in actu; unde accidentaliter advenirent subiecto iam existenti in actu; non enim facerent ens actu simpliciter, sed secundum quid » (2). Neque huiusmodi inconveniens vitatur per hoc quod prima forma sit in potentia ad secundam, nam omne subiectum comparatur ad suum accidens ut potentia ad actum (3).

Arg. 3.^{um} Si in homine praeter animam rationalem admitteretur alia praecedens forma substantialis, in infusione animae non fieret gene-

(1) Cf. S. THOM. QQ. DD. De spiritali creaturis, a. 3; Contra gent. lib. II, cap. LVIII.

(2) De Anima, lib. II, lect. 1.

(3) Cf. S. THOM. QQ. DD. De spiritali creaturis, a. 3.

ratio simpliciter, sed secundum quid. Atqui, fatentibus adversariis, quando infunditur anima rationalis vere generatur homo. Ergo praeter animam intellectivam nulla alia forma substantialis admittenda est.

Evol. arg. Cum generatio sit transmutatio de non esse ad esse, id simpliciter generatur, quod simpliciter fit ens de non ente simpliciter. Sed quod fit ex aliquo subiecto existente in actu sub aliqua forma, non fit ex non ente simpliciter, ut cuique perspicuum est. Ergo, ut vere generetur homo, anima intellectiva uniri debet materiae penitus informi. Et quoniam materia semper est sub aliqua forma, propterea semper ac unam acquirit, aliam amittit, et e converso. Recte ergo concludimus cum S. Thoma: « quod in hoc homine non est alia forma substantialis, quam anima rationalis, et quod per eam homo non solum est homo, sed animal, et vivum, et corpus, et substantia, et ens » (1).

Refellitur Scotus. Forma corporeitatis a Scoto conficta dicenda est plane inutilis; si enim anima intellectiva communicare potest materiae, quod potest anima sensitiva brutorum et vegetabilis plantarum, cur non poterit impertiri materiae, quod ipsi tribueret forma corporeitatis? Nam ut ait S. Thomas: « Sicut ipsa virtute continet animam sensitivam et nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa sola quicquid imperfectiores formae in aliis faciunt » (2). Si quid ergo Scoti cavillationes probarent pro multiplicatione formarum in homine, pari iure probarent pro multiplicatione animarum, uti consideranti patebit; et tunc tres animae forent admittendae, et redeundum vel ad decretum Avicebrae multiplicantis formas in quolibet individuo secundum ordinem generum et specierum, vel ad placita Democriti et Cartesianorum, qui negant substantiales transformationes, et consequenter omnes formas substantiales inter res commentitias amandant.

Refelluntur recentes. Contra recentes Cartesianos, qui affirmant, corpus constitutum independenter ab anima in ratione corporis, ab ea constitutum in ratione corporis viventis et humani, ita argumentamur. Vel ratio corporis et viventis secundum rem sunt idem, vel secus. Si primum, communicando esse viventis, communicat esse corporis. Si secundum, cum esse viventis adveniat esse corporis, anima non communicat corpori esse substantiale, quod est esse primum et consistit in indivisibili, sed esse accidentale, quod in sententia adversariorum nullam realem entitatem a substantia distinctam habet, ideoque anima nihil communicat corpori. Rursus ex definitionibus Ecclesiae anima communicat vitam corpori, ideoque corpus in homine vivit vivificatum ab anima. Sed vivere viventibus est esse. Ergo, communicando vi-

(1) Loc. cit.

(2) 1 p. q. 76, a. 4.

tam, communicat esse. Et re vera anima unitur corpori intrinsece et immediate ad illud vivificandum. Si ergo intrinsece uniri corpori non significat constituere illud in esse, ut vult doctrina peripatetico-scholastica, tunc significabit iuxta variam recentiorum opinandi licentiam, vel 1) quod anima est illi intime praesens; vel 2) quod anima movet corpus; vel 3) quod anima producat in corpore aliquem modum qui sit vita corporis; vel 4) quod anima pervadat corpus et viribus eius suas commisceat vires. Veram nemo est, qui non intelligat, haec omnia rationem formae informantis non explicare, sed penitus subvertere. Ergo Cartesiani propositum problema non solvunt.

Nam si primum dicitur, tunc Deus intimus corpori praesens, et Angeli, qui illi fieri possunt praesentes, dicerentur formaliter illud vivificare, quod est absurdum (1). Si secundum, tunc corpus non est vere vivum, quia non movet seipsum, et anima non erit forma, sed motor, ut Platoni placuit (2). Si tertium defenditur, tunc modus ille et non anima immediate vivificat corpus, et anima non erit intrinseca corpori sed modus ille; et quoniam modus ille non supponitur realiter a subiecto distinctus, et anima non est causa formalis realitatis subiecti, nihil reale corpori communicat. Si ad quartum se recipiunt, nempe ad virium consociationem, praeter quam quod ista notio formae informantis in nulla Schola Catholica tradebatur tempore, quo definitum fuit a Concilio, animam esse vere, per se, et essentialiter formam corporis, cum anima uniat per virium commistionem, non unitur immediate per suam essentiam, et cum anima et corpus vires utroque citroque commisceant, nulla ratio assignari poterit, cur anima potius informet corpus, quam corpus animam.

Neque audiendi sunt inter recentes, qui dicitant, corpus esse completum in ratione substantiae, incompletum vero in ratione naturae, ideoque per unionem compleri etiam in hac ratione, idest in ratione principii operationis. Hoc effugium vanum esse deprehenditur ex iis, quae docuimus, explicantes naturae definitionem, quae est principium primum et remotum operationis, quod re non differt quidquam ab ipsa essentia seu substantia rei; idcirco intelligi nequit, aliquid esse incompletum in ratione naturae, quin simul intelligatur esse incompletum in ratione substantiae.

Ad nobilissimam hanc controversiam claudendam praestat hic transferre luculenta S. Thomae verba, quibus mirifice admodum perspicueque explicat quo pacto anima, quae est spiritualis, corpori communicet ipsum esse corporis: « Perfectissima formarum, idest anima humana, quae est finis omnium formarum naturalium, habet operationem omnino excedentem materiam, quae non fit per orga-

(1) Cf. S. THOM. 1 p. q. 51 a. 3.

(2) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. II, cap. LVII.

num corporale, scilicet intelligere. Et quia esse rei proportionatur eius operationi, cum unumquodque operetur secundum quod est ens; oportet quod esse animae humanae superexcedat materiam corporalem, et non sit totaliter comprehensum ab ipsa; sed tamen aliquo modo attingitur ab ea. In quantum igitur supergreditur esse materiae corporalis potens per se subsistere et operari, materia humana est subsistens et spiritualis; in quantum vero attingitur a materia, et esse suum communicat illi, est forma corporis. Attingitur autem a materia corporali ea ratione, quod semper supremum infimi ordinis attingit infimum supremi; et ideo anima humana, quae est infima in ordine substantiarum spiritualium, esse suum communicare potest corpori humano, quod est dignissimum, ut fiat ex anima et corpore unum sicut ex forma et materia » (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.^o Anima definitur ab Aristotele (2 *De Anima*, text. 6): *Actus corporis physici organici potentia vitam habentis*, ideoque corpus organicum comparatur ad animam, ut materia ad formam. Atqui corpus organicum non est, nisi per aliquam formam. Ergo corpus hominis est constitutum in ratione corporis independentem ab anima.

Resp. Dist. mai. In hac definitione definitur anima formaliter ut anima, idest prout tribuit subiecto perfectiores essendi gradus, *Conc.* Definitur simpliciter ut forma substantialis tribuens primum esse subiecto, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

Explico. Solutio patet ex iis, quae a nobis praedicta sunt. Cum enim forma perfectissima det omnia quae dant formae imperfectiores et aliquid amplius; materia prout perficitur a formis inferioribus consideratur ut potentia relate ad formam nobiliorem. Et cum materia ab eadem forma praestantiori omnes gradus perfectionis adepta sit, sic considerare materiam actuam forma deteriori ut potentiam relate ad formam excellentiorem contingit secundum diversas rationes intelligibiles, non vero secundum diversas reales formas (2). Vel paulo secus responderi potest cum eodem S. Thoma, in illa definitione comparari animam ad subiectum ab ipsa anima formatum, non ad subiectum informe, ideoque in eo cuius dicitur actus, ipsa anima includitur; quemadmodum lux dicitur actus lucidi, licet non sit lucidum sine luce, sed per ipsam lucem (3).

Oppon. 2.^o Nemo dat quod non habet. Atqui anima rationalis non habet corporeitatem, cum sit incorporea et spiritualis. Ergo corpus non habet ab ea esse corporis.

(1) QQ. DD. *De spirit. creaturis*, a. 2.(2) Cf. S. THOM. QQ. DD. *De spirit. creaturis*, a. 3 ad 2.

(3) Cf. S. THOM. I p. 76, a. 4 ad 1.

Resp. Dist. mai. Nemo dat quod non habet neque formaliter neque virtualiter, *Conc.* Quod non habet formaliter, *Neg. Contradist. min.* Anima non habet virtualiter corporeitatem, *Neg.* Non habet formaliter, *Conc. et Neg. cons.*

Explico. Difficultas haec late patet, et applicari posset, servata proportione, omnibus essendi gradibus, qui conferuntur a formis inferioribus. Quare anima rationalis formarum omnium substantialium praestantissima, et medium tenens locum inter formas pure spirituales et formas penitus a materia comprehensas, cum sit formaliter intellectiva, *formaliter* est incorporea, indivisibilis, inextensa, incorruptibilis; cum vero virtute contineat perfectiones formarum imperfectiorum est *virtualiter* sensitiva, nutritiva, corporea, extensa, divisibilis, corruptibilis; nimirum potest esse actus subiecti ex cuius unione resultet suppositum aliquod formaliter sensitivum, nutritivum, corporeum, divisibile, corruptibile; hinc illud idem esse prout est animae, est incorruptibile, incorporeum, indivisibile, prout est compositi est corporeum, divisibile, corruptibile. Hanc rem sic enodat Caietanus: « Est anima intellectiva tantae excellentiae, ut et faciat ens materiale quantitati subiectum . . . in quantum habet in se vim priorum (*formarum*), et ut det esse intellectuale et indivisibile, in quantum formaliter excedit omnes alias; facileque percipi potest, quod compositum sit quantum et figuratum *subiective*, et tamen illius forma sit indivisibilis *formaliter*, si privatus quis non est lumine naturali quo discernere datum est, quod inter formam pure indivisibilem ut sunt intelligentiae, et formam pure divisibilem ut sunt omnino materiales, mediat forma indivisibilis *formaliter*, et divisibilis *virtualiter*, cui ex formali indivisibilitate convenit esse non *quantam*, et ex virtuali divisibilitate convenit facere formaliter extensum *subiective* » (1).

Oppon. 3.^o Si anima intellectiva uniretur materiae nudeae et non corpori organico independentem ab ipsa constituto, diversus actus non haberet diversam potentiam, cum idem esset subiectum omnium formarum, idest materia prima. Atqui quilibet actus habet suam proportionatam potentiam. Ergo.

Resp. Dist. mai. Si anima uniretur materiae nudeae non constitutae sub privatione, diversus actus non haberet diversam potentiam, *Conc.* Si unitur materiae sub privatione positae, diversus actus non habet diversam potentiam, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

Explico. Difficultas remanet soluta ex praedictis superioribus. Hic tamen addimus, quod si valeret argumentatio, in homine deberent remanere tres animae realiter distinctae, positae successivis generationibus in fetu animato. Quare materia non praesupponitur nuda ad adventum animae, uti fingunt adversarii, cum ex peripatetica doctrina

(1) Cf. CAIET. in I p. q. 76, a. 4.

a nobis adstructa, materia nuda existere nequeat in rerum natura; sed praequiratur apprime disposita per varias substantiales transmutationes successivas. Ex his substantialibus transmutationibus fluunt diversa accidentia, quae sunt proxima dispositio ad ultimam et nobilissimam formam, quae accessu suo dat subiecto, quod formae inferiores dabant, et aliquid amplius. Hoc non contingeret, nisi priores formae corruptae fuissent; secus idem esse a duabus formis tribueretur, quod esset ridicule dictum. Quare dispositiones seu accidentia prout procedunt a priori forma praequiruntur ad animae adventum; sed, peracta unione, non remanent eadem numero, cum dependant ab alio subiecto, quia procedunt ab alia forma nobiliori.

Oppon. 4.^o In homine sunt partes diversae speciei, ut oculus, manus, caro, et ossa. Atqui partes diversae speciei non possunt informari unica forma, quae daret unicam speciem. Ergo in homine praeter animam sunt aliae formae substantiales.

Resp. *Dist. mai.* In homine sunt partes diversae speciei, idest quae separatae inter se efficerent diversas species, *Conc.* Quae quamdiu actuantur anima rationali, pertinent ad diversas species, *Neg.*

Explico. Difficultas non efficit quidquam pro forma *corporealis* Scotti, cum posita illa forma non solum remanet, sed evadit difficilius solutu, ut intelligenti patet. Quare ipsi sic luculenter occurrit S. Thomas: «Partes animalis ut oculus, caro, et os non sunt in specie, sed totum; et ideo non potest dici proprie loquendo, quod sint diversarum specierum, sed quod sint diversarum dispositionum. Et hoc competit animae intellectivae, quae quamvis sit una secundum essentiam, tamen propter sui perfectionem est multiplex in virtute: et ideo ad diversas operationes indiget diversis dispositionibus in partibus corporis cui unitur. Et propter hoc videmus, quod maior est diversitas partium in animalibus perfectis, quam in imperfectis, et in his quam in plantis » (1).

Oppon. 5.^o Si anima est unica forma substantialis in homine, cum per interitum ipsa a corpore discedit, debet ei succedere forma cadaverica. Atqui haec forma nequit admitti, cum nulla possit assignari causa eam producens. Ergo in homine praeter animam datur forma corporis misti.

Resp. *Dist. mai.* Debet admitti forma cadaverica seu corporis mortui, quae a natura intenditur ut *permanens* et ut terminus, *Neg.* Quae intenditur ut *transiens* et ut via ad aliam formam deteriorem, *Conc.* *Dist. min.* Nulla potest assignari causa talis formae, quae univoce agat et producat sibi simile in specie, *Conc.* Quae sit causa aequivoca, et non producat sibi simile in specie, *Neg.* et *Neg. cons.*

(1) 1 p. q. 76, a. 5 ad 3; cf. *QQ. DD. De Anima*, a. 9 fine; cf. etiam *St. V. MAURUM, Quaest. phil.* lib. IV, q. 26 ad 7.

Explico. Quandoquidem in substantialibus transmutationibus corruptio unius sit generatio alterius, abscedente forma nobiliori, idest anima rationali, debet nova forma generari, quae sit principium unitatis illius corporis, quod licet non sit vivum, non est tamen resolutum in elementa. Haec forma dicitur forma corporis mortui, quae per se est forma incompleta et transiens, quia non intenditur a natura, nisi ut via ad inferiores formas elementorum, in quas naturaliter resolvitur cadaver. Inductio huiusmodi formae minime dici solet *generatio*, cum vulgo nomine generationis solet intelligi transitus a forma imperfectiori ad formam praestantiorum, et vicissim transitus a forma nobiliori ad deteriorem noninvenit *corruptio*.

Porro natura, quae semper ordinate et gradatim operatur, sicut in generatione hominis procedit paulatim per varias formas intermedias transeuntis, quae intenduntur ut via ad formam perfectissimam; sic in eius corruptione quadantenus inverso ordine per formas intermedias tendit ad formas imperfectas elementorum. Item sicut in generatione, causae producentes formas intermedias non semper agunt univoce, et ad producendum sibi simile in specie, secus quolibet generatio esset generatio hominis; sic in corruptione, cum producit forma cadaveris, non est necesse reperire causam, quae univoce agat ad producendum sibi simile in specie; demum sicut causa, quae proxime disponit ad formam viventis, est ea quae ita miscet elementa, ut illa reducat ad peculiare et perfectissimum temperamentum mistionis heterogeneae, quod est necessaria dispositio ad formam viventis; ita causa producens formam cadaveris est illa eadem, quae aequilibrium illud ac temperamentum abruptum, nempe quae causat mortem; ita ut, pereunte dispositione necessaria ad formam viventis, adhuc remaneat dispositio ad mistum heterogenum sed imperfectum.

Cum autem elementa non amplius coercentur principio vitali, sub actione agentium naturalium tendunt iugiter ad dissolvendum aequilibrium illius mistionis, quae erat a principio vitali, et ad proprias et primitivas formas recuperandas, et sic naturaliter datur resolutio in elementa (1). Quae a nobis explicata sunt, illustrari possunt auctoritate S. Thomae, qui ita de hac re disserit: «Manifestum est in generatione compositorum, puta animalis, quod inter primum principium generationis, quod est in semine, et ultimam formam animalis completam, sunt multae generationes mediae, quae necessario terminantur ad aliquas formas, quarum nulla facit ens completum secundum speciem, sed est ens incompletum, quod est via ad speciem aliquam. Similiter autem ex parte corruptionis sunt multae formae mediae, quae sunt formae incompletae; non enim, separata anima,

(1) Quomodo agentia naturalia non semper agant secundum totam rationem formae; cf. S. THOM. *Metaph.* lib. VII, lect. 8.

corpus animalis statim resolvitur in elementa, sed hoc fit per multas corruptiones, succedentibus sibi in materia multis formis imperfectis, sicut est forma corporis mortui et postea putrefacti » (1).

Oppon. 6.^o In cadavere remanent eadem accidentia. Ergo remanent eadem forma substantialis.

Resp. Dist. ant. Remanent eadem accidentia, quae consequuntur materiam secundum ordinem, quem habet ad formam generalem, *Conc.* Secundum ordinem, quem materia habet ad formam specialem, *Neg.* et *Neg. cons.* Adde quod illa accidentia non sunt eadem numero, cum substantia sit mutata: quare caro et oculi, ut ait Philosophus, dicuntur aequivoce de vivo et mortuo, sicut oculus pictus vel lapideus et verus oculus.

ARTICULUS VI.

AN ET QUOMODO ANIMA RATIONALIS MULTIPLICETUR
IN SINGULIS HOMINIBUS (2).

QUAESTIO DEFINITUR. Duo in hoc articulo inquirenda veniunt, ut patet ex ipso titulo. Principio quidem quaeritur, an anima intellectiva, quae corpori humano unitur ut forma substantialis, sit una in omnibus individuis naturae humanae, vel multiplicetur in singulis individuis. Haec quaestio nullam patitur difficultatem: omnes quippe intelligunt, formam substantialem, quae in individuis est principium essendi et unitatis, non posse diversa et multiplicia entia constituere, nisi et ipsa multiplex sit et multiplicata secundum multitudinem individuorum; si enim una esset, unum ens constitueret, et omnes homines non essent nisi unus homo. Ceterum commentum phantasticum Averrois somniantis, dari in omnibus hominibus unicum intellectum seu animam intellectivam, abunde refutatum fuit a S. Thoma (3). Insuper damnatum fuit ut haereticum a Concilio Lateranensi sub Leone X huiusmodi decreto: « Hoc approbante sacro Concilio damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes; cum illa non solum vere, per se, et essentialiter humani corporis forma existat, ... verum et immortalis, et pro corporum quibus infunditur

(1) *De generat.* lib. I, lect. 8.

(2) De hac re cf. S. THOM. 1 p. q. 76, a. 2; *Contra gent.* lib. II, cap. LXXIII et seq.; *QQ. DD. De Anima*, a. 3 et alibi passim.

(3) Cf. S. THOM. *Opusc. De unitate intellectus contra Averroistas.*

multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda sit » (1).

Verum alia multo salebrosior obscuriorque exurgit quaestio, quae ultro citroque inter ipsos Scholasticos agitata est, quaeque versatur circa rationem et modum ipsius multiplicationis et distinctionis animarum, ut vera assignari possit causa, cur animae humanae numero multiplicatae omnes pertineant ad eandem speciem, proindeque in ipsis detur distinctio ac divisio numerica, quin secum afferat specificam divisionem. Qua in re certamen potissimum est inter S. Thomam et Scotum; nam Angelicus docet, animam individuari et multiplicari numerice per suam essentiam dicentem ordinem transcendentalem ad corpus, in quo tamquam in subiecto informationis, non vero sustentationis recipit esse, cum sit forma subsistens et incompleta in specie. Scotus ex adverso iuxta suam de individuatione doctrinam profitetur, animam humanam individuari sua propria *haecceitate* (2). Nos ad peripateticam S. Thomae doctrinam hac super re aperiendam, utramque quaestionem unica hac complexetum propositione.

PROPOSITIO.

Anima humana non est unica in cunctis hominibus, sed pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicata. Licet sit forma per se subsistens et individua; nihilominus cum non subsistat in specie completa, ordinem transcendentalem dicit ad corpus; ideoque « quod sit unibilis huic aut illi corpori, multiplicat animam secundum numerum, non autem secundum speciem » (3).

Prob. 1.^a pars. Cum anima sit forma substantialis corporis, quilibet homo ab ea habet, quod sit ens actu et unum per se, idest indivisum in se et divisum a quolibet alio. Sed si anima esset una in cunctis hominibus, non posset esse principium formale, quo unus homo dividitur ab alio, uti patet; quia tunc omnium esset unum esse, ideoque omnes homines essent unum ens actu. Ergo repugnat, dari unicam animam communem omnibus hominibus, sicut repugnat dari unicum esse formale omnium hominum. Argumentum sic proponitur a S. Thoma: « Ab eodem aliquid habet esse et unitatem; unum enim et ens se consequuntur. Sed unumquodque habet esse per suam formam; ergo et unitas rei sequitur unitatem formae. Impossibile est igitur diversorum individuorum hominum esse formam unam.

(1) Sess. 8, Canonice, *Apostolice regiminis.*

(2) Cf. SCOT. in 2. *Sent. Dist.* 3, q. ultima. De hac quaestione dignus est qui consulatur CALETANUS, in *Opusc. De ente et essentia*, cap. VI, q. 13.

(3) S. THOM. *QQ. DD. De Anima*, a. 3 fine.